Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-456192-p0001-7

Z. n. 18.
320/20

B. iiq.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-456192-p0002-2

27

S. IGNATII
EPISCOPI ANTIOCHENI ET MARTYRIS
DICTUM
QUOD IN EJUS EPISTOLA AD ROMANOS N. VII. LEGITUR
Ὁ ἘΜΟΣ ἜΡΩΣ ἘΣΤΑΥΡΩΤΑΙ

AMOR MEUS CRUCIFIXUS EST

PIE MEDITATUS

FESTUM PASCHATOS

SOLENNI ORATIONE

IN TEMPLO ILLUSTRIS AUGUSTEI
CELEBRANDUM
INDICIT
ET
AD ORATIONEM SACRAM
IPSA FERIA PRIMA CIRCA HORAM XII.
PIO AFFECTU
AUDIENDAM

ILLUSTRES AULAE SERENISSIMAE MINISTROS UTRIUSQUE REIPUBL. PROCERES ET LITERARUM CULTORES AC PROMOTORES ET ILL. AUGUSTEI CIVES

EA QUA PAR EST OBSERVANTIA ET HUMANITATE
INVITAT

M. CHRISTIANUS REINECCIUS SS. TH. B.
CONSIL. SAXO - WEISSENFELS. ILL. AUGUSTEI
RECTOR ET P. P.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-456192-p0003-8

* * * * *
* * * *

INter Sanctiſſimos ævi Apoſtolici Patres & Eccleſiarum Doctores celebratiſſimi nominis eſt IGNATIUS, qui cognomento Θεοφόρος i. e. qui Deum pectore geſtat, nuncupatus eſt; ex quo cognomine orta traditio videtur apud Veteres & in Græcorum Menæis: *Ignatium aliquando Chriſti manibus exceptum & geſtatum, & illum ipſum puerulum fuiſſe, quem Chriſtus in humilitatis exemplum Diſcipulis ſuis propoſuit.* Matth. XVIII. 2. ſqq. V. *Nicephorus* Hiſt. Eccl. l. 2. c. 35. *Simeon Metaphraſtes* in Vit. Sanctorum & ex recentioribus *Montacutius* in Orig. Eccl. p. 212., *Halloixius* in Vita Ign. p. 382. &c. Quo ipſo nomina illa Θεοφόρος & Θεόφορος confunduntur, quorum illud fuit *Ignatii* Deum pectore geſtantis, hoc vero ſignificat à Deo portatum, & à *Simeone Metaphraſte* pro illo acceptatur. Sed *Ignatius* ipſe optimus nominis ſui interpres eſt, cui Θεοφόρος eſt, ὁ χριϛὸν ἔχων ἐν ϛέρνοις *qui Chriſtum habet in pectore*, ut Acta ejus martyrii p. 359. ed. Ittigianæ teſtantur. Conf. *Uſſerius* in Notis ad Acta illa p. 36., *Pearſonius* in Vindiciis Ep. Ign. P. 2. c. 12., *L. Ellies Du Pin* Bibl. Nova T. 1. p. 75., *Caveus* Hiſt. Lit. P. 1. p. 20., *Ittigius* in diſſ. de Patribus Apoſt. p. 255. ſqq. *Merum* igitur *figmentum* Traditionem illam appellat *Du Pinius* l. c. *nullius Antiqui teſtimonio nixum, imo Chryſoſtomi ſententiæ contrarium, qui ait Ignatio Chriſtum nunquam viſum.* V. *Chryſoſtomus* Orat. de Ignatio T. 1. Opp. p. 503. ed. Frf. De patria & parentibus *Ignatii* parum conſtat, niſi quod *Gregorius Abulpharagius* ſcriptor Arabs in Hiſt. Dynaſt. VII. p. 119. eum *Nuranienſem* vocet, & *Montacutius* l. c. *Proſelyti alicujus Antiochenſis filium* fuiſſe ſcribat, neſcio qua uterque fide. Epiſcopum Antiochiæ fuiſſe Veteres teſtantur omnes, quorum teſtimonia legimus à *Pearſonio* l. c. congeſta: ſed Patriarcham fuiſſe quod *Valeſius* cum plurimis aliis, aut metropolitam, quod dicunt *Gv. Beveregius* & *Henr. Hammondus*, nec ætati Apoſtolicæ & Ignatianæ congruit, nec veterum teſtimonio gaudet. Hoc enim *Patriarcharum nomen primo audiri cœpiſſe* (in Eccleſia Chriſtiana) *circa tempus Chalcedonenſis Concilii* teſtis ipſe eſt *Em. Schelſtratius* diſſ. de Auct. Patr. & Metrop., conf. *Du Pinius* de antiqua Eccl. diſcipl. p. 15. *Richerius* &c. quos & plures nominavit *M. Chr. Krauſe* in diſp. de Origine Patriarcharum Chriſtianorum. Illam autem epiſcopalem dignitatem mortuo *Evodio* accepit ſive διὰ τῆς μεγάλȣ Πέτρȣ δεξιᾶς ut loquitur *Theodoretus* Dial. 1. p. 33. *ipſo Petro manus ei imponente*; ſive ordinatus à Paulo, quod teſtantur Conſtitutiones Apoſtol. l. 7. c. 46. aliis quoque præſentibus Apoſtolis, quod *Chryſoſtomus* l. c. p. 498. innuit. Hinc exiguæ fidei eſſe animadvertitur illud *Anaſtaſii Bibliothecarii* ſcholion in Tom. 8. Concil. Labb. p. 994. *Apoſtolos non auſos fuiſſe Ignatio, cum ipſum Epiſcopum conſecrarent, manus imponere, cum jam Chriſti tactu conſecratum noviſſent.* Præfuit illi officio *Ignatius* plusquam XL. annos mira cum ſapientia & conſtantia, Fidemque Chriſtianam coram Imperatore Trajano fortiter confeſſus martyrium ſubiit. Venerat vero Trajanus circa A. C. 107. Parthis bellum illaturus Antiochiam, & Ignatius de fide Chriſtiana auditus ab ipſo damnatur ad beſtias, & vinctus Romam mittitur, ubi in Amphitheatrum d. 3. Cal. Januar. A. C. CVII. adductus à Leonibus diſcerptus eſt, ſi Actis martyrii S. Ignatii fides habenda eſt, quæ à comitibus ejus *Philone* Diacono Tarſenſi & *Agathopode* ſcripta creduntur. V. *Caveus* l. c. In iſto autem itinere quo vinctus ivit Romam ſeptem ſcripſiſſe Epiſtolas fertur *Ignatius*, quas *Polycarpus* coætaneus collegit, & *Euſebius* Hiſt. Eccl. l. 3. c. 36. & *Hieronymus* in Catalogo Script. Eccl. recenſuit, eædemque omni antiquitatis teſtimonio gaudent. V. *Du Pin* l. c. p. 58. Sunt vero iſtæ Epiſtolæ 1. *ad Epheſios* 2. *ad Magneſios* 3. *ad Trallianos* 4. *ad Romanos* 5. *ad Philadelphios* 6. *ad Smyrnæos* & 7. *ad Polycarpum.* Has ſeptem Epiſtolas Ignatii genuinas à ſpuriis non tantum diſtingvendas, ſed et ab additionibus interpolatis liberandas eſſe putarunt *Uſſerius* & *Iſaacus Voſſius*, & quod moliti ſunt beneficio Codicum MSS. Latinorum & Græci Florentini Bibliothecæ Mediceæ præſtiterunt non

ſine

ſine applauſu eruditorum, eosque ſecuti ſunt in ſuis editionibus *Cotelerius*, *Clericus*, *Ittigius* & recentisſime *Thomas Smithus*. Nec tamen ſilendum eſt, Epiſtolas has, ut variis fatis, ita & contradictionibus variis Doctorum quovis tempore expoſitas fuiſſe, quæ nec dum prorſus ceſſarunt. V. *Chriſt. Gottl. Koch.* in praefat. ad Juſtini Mart. Dialog. conf. *Acta Eruditorum* Lipſ. A. 1710. p. 196. ſqq. Sed obviam iis ivere *Du Pin* l. c., *Ittigius* in diſſ. cit. & in Hiſt. Eccl. Sec. II. p. 3. aliique. Inprimis Epiſtolæ iſti Ignatii ad Romanos, e qua Verba illa: AMOR MEUS CRUCIFIXUS EST; petita ſunt, magnum præjudicium adferre putatur *W. E. Tentzelio* in Exerc. Sel. p. 64., quod in Codice Medeceo reperta non fuerit Græce, conquerentibus *Voſſio*, *Uſſerio*, *Petavio* & *Pearſonio*. Qua de re etiam ſcribit *Ittigius* in diſſ. cit. p. 274. Sed quia in Florentino Codice Epiſtola ad Romanos deſiderata fuit, Voſſius Græcum hujus Epiſtolæ textum ex vulgatis antea editionibus mutuatus eſt, poſtea tamen ope antiquæ Verſionis ab Uſſerio editæ adulterina hujus epiſtolæ verba à genuinis ſecernere ſatagit, tandemque epiſtolam hanc ex ingenio ſuo integram exhibet, qualem fuiſſe putat, antequam ab ullo interpolatore depravaretur. Etſi autem Voſſio tam felici eſſe non contigerit, ut genuinam Ignatii ad Romanos epiſtolam in Græco aliquo Codice reperiret, alios tamen ſe fortunatiores eam aliquando in Bibliothecarum angulis reperturos auguratus eſt. Nec eum ſuum augurium fefellit, ſi vera eſt Theodorici Ruinarti gloriatio, qui in Colbertina Bibliotheca hanc Epiſtolam Actis martyrii Ignatiani inſertam ſe reperiſſe opinatur. Et laudanda quidem Ruinarti induſtria, qui hanc epiſtolam ad Romanos, qualem in Codice Colbertino invenit in addendis ad Acta Martyrii ſincera & ſelecta publici juris fecit. Num vero plane genuina hæc ſit epiſtolæ ad Romanos Ignatianæ editio eruditis diſcipiendum relinquo.„ Enimvero iſta omnia nobis in præſenti officere non poſſunt, quo minus genuinam illam Ignatii ſententiam: Ὁ ἐμὸς ἔρως ἐςαύρωται MEUS AMOR CRUCIFIXUS eſt; eſſe judicemus. Nam leguntur illa verba in omnibus Græcis & Latinis Codicibus & Editionibus. Referuntur illa ab *Origene* in Prologo Commentarii in Canticum T. 1. Op. p. 495. ſq. *Nec puto quod culpari poſſit, ſi quis Deum ſicut Johannes* charitatem, *ita ipſe* amorem *nominet. Denique memini aliquem Sanctorum dixiſſe* Ignatium *nomine de Chriſto*: Meus autem amor crucifixus eſt; *nec reprehendi eum pro hoc dignum judico.* Et repetuntur ab Auctore Hierarchicorum ſub *Dionyſii Areopagitæ* nomine evulgatorum Lib. de Div. Nomin. c. 4. Καίτοι ἔδοξέ τισι τῶν καθ' ἡμᾶς ἱερολόγων, καὶ θειότερον εἶναι τὸ τῦ ἔρωτος ὄνομα τῦ τῆς ἀγάπης· γράφει δὲ ὁ θεῖος Ἰγνάτιος. ὁ ἐμὸς ἔρως ἐςαύρωται. i. e. *atque viſum eſt quibusdam ex noſtris, qui de Divinis rebus diſſeruerunt, AMORIS nomen etiam divinius eſſe quam nomen charitatis. Scribit autem & Divinus Ignatius: MEUS AMOR cruci affixus eſt.* Eumque *Dionyſii* locum etiam *S. Maximus* in Scholiis ad Dionyſium p. 613. & *Photius* in Biblioth. cod. 1. p. 3. attigerunt. Et ipſi *Ignatii* dicto *Theodorus Studita* in Catech. 3. nomen *CHRISTI* addidit. Quo ipſo conſtare ſimul nobis poteſt de Verborum Ignatii ſenſu apud Veteres, qui hodie inter Eruditos dubius redditur, dum eorum plurimi per ἔρωτα Ignatii h. l. non Chriſtum ex mente Veterum Doctorum, ſed amorem rerum mundanarum intelligunt. *Ita Brunnerus* p. 59. hanc dedit verborum Ignatii paraphraſin: *quicquid præter Chriſtum uſquam fuit amabile ac gratum mihi, crucifixum eſt & morte Chriſti deletum.* Et pro hoc verborum Ignatii ſenſu *Petrus Halloixius* ad h. l. p. 404. *Natalis Alexander* H. E. Sec. 1. p. 276. *Theoph. Spizelius* in Veteri Academia J. C. p. 9. & *J. M. Dilherr.* Diſp. Acad. p. 2. p. 403. aliique contextum urgent, & componunt cum his verbis verba Pauli Gal. 6, 14. ἐμοὶ κόσμος ἐςαύρωται. Ut igitur ea de re judicare poſſimus rectius, ipſum *Ignatii* locum obtutui ſiſtam ex Epiſtola ad Rom., prout *Theod. Ruinartus* eam Græce invenit & in melioribus Ignatii editionibus extat. Legitur in Epiſtola Ignatii ad Romanos n. 7. p. 88. & p. 274. ed. Ittig. Ζῶν γράφω ὑμῖν, ἐρῶν τῦ [διὰ χριςὸν] ἀποθανεῖν. Ο ΕΜΟΣ ΕΡΩΣ ΕΣΤΑΥΡΩΤΑΙ, καὶ ὐκ ἔςιν ἐν ἐμοὶ πῦρ φιλόυλον [φιλῦν τι] ὕδωρ δὲ ζῶν καὶ λαλῦν ἐν ἐμοὶ, ἔσωθέν μοι λέγον. δεῦρο πρὸς τὸν πατέρα. ὐχ ἥδομαι τροφῇ φθο-

ρᾶς

ρᾶς οὐδὲ ἡδοναῖς τοῦ βίου τούτου. ἄρτον Θεοῦ θέλω - ὅς ἐστι σὰρξ Ἰησοῦ Χριστοῦ - καὶ πόμα Θεοῦ θέλω, τὸ αἷμα αὐτοῦ, ὅ ἐστιν ἀγάπη ἄφθαρτος καὶ ἀέννασς ζωή. Quid in hoc contextu ſit, quod nos urgeat, ut à veterum per ἔρωτα Chriſtum intelligentium ſententia recedamus, non video. Laudat *Chryſoſtomus* l. c. p. 498. in Ignatio ψυχὴν τῶν πνεόντων ὑπερερῶσαν ἁπάντων, καὶ τῷ θείῳ ζέουσαν ἜΡΩΤΙ καὶ τὰ μὴ βλεπόμενα ὁρωμένων προτιμῶσαν, καὶ μετὰ τοσαύτης εὐκολίας τὴν σάρκα ἀπέθετο μεθ' ὅσης ἄν τις ἱμάτιον ἀποδύσαιτο. Hæc reperimus in hoc contextu. Mortem lubenter ſe ſubiturum teſtatur: ζῶν γὰρ γράφω ὑμῖν, ἐρῶν τοῦ ἀποθανεῖν. Chriſti amore flagrans dicit ὁ ἐμὸς ἜΡΩΣ ἐσταύρωται. Mundum contemnens addit: Καὶ οὐκ ἔστιν ἐν ἐμοὶ πῦρ φιλόϋλον ſeu πῦρ φιλοῦν τι &c. Inviſibilia & æterna anhelans properat ad Patrem, & cœleſti cibo & potu refocillari cupit. Sed dicunt verba καὶ οὐκ ἔστιν ἐν ἐμοὶ πῦρ &c. eſſe explicationem prioris commatis. Verum eſſe illa potius illationem & gignere oppoſitionem accuratius rem penſitanti patet. Quo modo hæc acceperunt Scriptores Veteres *Origenes*, *Chryſoſtomus*, *Dionyſius* &c. & Menæa Græcorum. Inprimis ſi hæc textus Græci emendatio admittatur: ὁ ἐμὸς ἔρως ἐσταύρωται, καὶ οὐκ ἔστιν ἐν ἐμοὶ πῦρ φιλοῦν τὸ ὕδωρ· ζῶν δὲ καὶ λαλοῦν &c. i. e. *et ignis ille qui in me eſt non amat aquam ſeu refrigerium &c.* Porro ajunt ſimilem ſententiam legi Gal. 6, 14. Sed hæc ſimilis non eſt, non enim dicitur ἐμοὶ ἔρως ἐσταύρωται ſicut in Gal. 6, 14. ἐμοὶ κόσμος ἐσταύρωται, ſed ὁ ἐμὸς ἔρως &c. quod longe aliud eſt, & multo propius accedit ad illud 1. Cor. V. 7. τὸ πάσχα ἡμῶν quod eſt Chriſtus ὑπὲρ ἡμῶν ἐτύθη. Hæc atque alia, quæ communi interpretationi Verborum Ignatii obvertuntur prolixius diluit *J. W. Tenzelius* l. c., & plures huic interpretationi de Chriſto adſtipulantes, *Dannhauerum*, *Calovium*, *Bebelium*, *Tribbechovium*, *Spanhemium*, *J. G. & Iſ. Voſſios*, *Albertinum*, *Pearſonium & Svicerum* allegavit *Ittigius* in Hiſt. Eccl. Sec. II. p. 159. Quibus & addi poterunt *J. Fechtius* in Th. Patriſt. §. 9. *J. B. Carpzovius* in Conc. Funebr. & *Th. Smithus* in Ep. Ign. edit. p. 100. &c. Aptiſſime autem CHRISTUS vocatur ΕΡΩΣ non tantum ratione Amoris, quo nos amat, ſed & quo nos ipſum proſequi tenemur. Nam Amor amore dignus eſt, & omnis Vita noſtra Chriſti Amori & beneficiis reſpondere debet, cum per ipſum ſit reparata. Et *reparatam cum Chriſti vita Chriſtianorum vitam* Juvenis Pereximius ac Præſtantiſſimus, DN. JOH. FRID. BENNDORFF Megahæringenſis, Philoſ. & Theol. Studioſus perquam pius & induſtrius, & doctrina & morum elegantia ornatiſſimus in oratione ſua luculentiſſime commonſtrabit. Quem ut Illuſtres Aulæ Sereniſſimæ Miniſtri, Utriusque Reipubl. Proceres, & Literarum Cultores, ut & Ill. Auguſtei Cives pio affectu audire ne graventur, maximopere rogo atque oro P. P. Dom. Palmarum A. C.

MDCCXXV.

LEUCOPETRAE,

Litteris Godofr. Andr. Legii, Aul. & Auguſtei Typogr.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-456192-p0006-5

Nc 885.
4°

ULB Halle 3
001 556 347

Sb.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-456192-p0007-1

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-456192-p0008-6

27

S. IGNATII
EPISCOPI ANTIOCHENI ET MARTYRIS DICTUM

QUOD IN EJUS EPISTOLA AD ROMANOS N. VII. LEGITUR

Ὁ ἘΜΟΣ ἘΡΩΣ ἘΣΤΑΥΡΩΤΑΙ

AMOR MEUS CRUCIFIXUS EST

PIE MEDITATUS

FESTUM PASCHATOS

SOLENNI ORATIONE

IN TEMPLO ILLUSTRIS AUGUSTEI
CELEBRANDUM

INDICIT

ET

AD ORATIONEM SACRAM
IPSA FERIA PRIMA CIRCA HORAM XII.
PIO AFFECTU
AUDIENDAM

ILLUSTRES AULAE SERENISSIMAE MINISTROS UTRIUSQUE REIPUBL. PROCERES ET LITERARUM CULTORES AC PROMOTORES ET ILL. AUGUSTEI CIVES

EA QUA PAR EST OBSERVANTIA ET HUMANITATE
INVITAT

M. CHRISTIANUS REINECCIUS SS. TH. B.
CONSIL. SAXO - WEISSENFELS. ILL. AUGUSTEI
RECTOR ET P. P.

Black 3/Color White Magenta Red Yellow Green Cyan Blue
Farbkarte #13 B.I.G.
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19
Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-456192-p0009-5
DFG